AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 187v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Adde adhuc. Qui filio proprio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit eum quomodo non et
cum illo omnia nobis donauit. Sed quibus nobis. Prescitis predestinatis iusti
ficatis glorificatis de quibus sequitur. Quis accusabit aduersus electos dei.
Nouit ergo dominus qui sunt eius. Ipse sunt oues. Aliquando se ipse nesciunt sed pastor
nouit eas. Secundum istam predestinationem secundum istam dei prescientiam secundum
electionem ouium ante constitutionem mundi. Secundum ergo istam prescientiam dei
et predestinationem quam multe oues foris quam multi lupi intus et quam mul
te oues intus et multi lupi foris. Quid est quod dixi quam multe oues foris.
Quam multi modo luxuriantur casti futuri quam multi blasphemant
xpm credituri in xpm quam multi se inebriant futuri sobrii quam
multi rapiunt res alienas donaturi suas uerumtamen modo alienam
uocem audiunt alienos secuntur. Item quam multi intus laudant plas
phematuri casti sunt fornicaturi sobrii sunt se uino post ea sepulturi.
stant casuri non sunt oues. De predestinatis enim loquimur de his loquimur quos
nouit dominus qui sunt eius et tamen ipsi quamdiu recte sapiunt xpi uocem au
diunt. Ecce ipsi audiunt illi non audiunt et tamen secundum predesti
nationem non oues isti oues illi. Adhuc manet questio quomodo interim nec
uidetur ita posse dissolui. Est aliqua uox est in qua aliqua uox pastoris
in qua oues non audiunt alienos in qua non oues non audiunt xpm. Que est
ista uox. Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit. Hanc uo
cem non neglegit proprius non audit alienus. Nam et ille hoc predicat ut perseueret
apud ipsum usque in finem sed non apud eum perseuerando non audit hanc uocem.
Venit ad xpm audiuit alia et alia uerba illa et illa omnia uera sana
omnia interque omnia est et illa uox qui perseuerauerit usque in finem hic saluus
erit. Istam qui audierit ouis est. Sed audiebat illam nescio quis et desipu
it refriguit audiuit alienam. Si predestinatus est ad tempus errauit
in eternum non peribit. Redit ut audiat quod neglexit faciat quod audiuit.
Si enim de his est qui predestinati sunt et errorem ipsius dominus prescitit et conuersi
onem futuram. Si aberrauit redit ut audiat uocem illam pastoris
et sequitur dicentem qui perseuerauerit in finem hic saluus erit. Bona uox
fratres uere pastoralis ipsa est uox salutis in tabernaculis iustorum. Nam
facile est audire xpm facile est laudare euangelium facile est ac
clamare disputatori perseuerare usque in finem hoc est ouium uocem
pastoris audiencium. Temptacio accidit perseuera usque in finem quia
temptacio non perseuerat usque in finem. Usque in quem finem perseuerabis.

Nam et hoc dicit apostolus sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi